

**CHARTA SANCTI ANNEMUNDI
AD LUGDUNENSE SANCTI PETRI MONASTERIUM.**

BREQUIGNY MONITUM.

Charta qua Annemundus, Lugdunensis præsul, **Lugdunensi Sancti Petri parthenoni dona confert**, **vel collata confirmat**, pugnat cum charta Girarti, **quæ nemini suspecta fuit**. Ergo spurium censemus **instrumentum** quod Annemundo adscribitur. Sic censuerunt autores Novæ Galliae Christianæ, t. IV, col. 283. In hoc autem præcipue pugnant ambo hæc **instrumenta**, quod in charta Girarti monasterium Sancti Petri Lugdunensis ineunte sexto seculo con-

A ditum dicatur, et id testatur recepta in hac Ecclesia traditio; Annemundi vero charta dona memorat collata huic monasterio tribus ante sæculis, per Albertum nobilissimum virum, qui ibi duas filias Deo dicaverat. Inditus Annemundo archiepiscopi titulus suppositio instrumento mirifice congruit.

(*Hanc chartam recudimus inter saeculorum vii et viii ecclesiastica monumenta, tom. LXXXVIII, col. 1164.*)

ANNO DOMINI DCLVI.

**VERUS
RUTHENENSIS EPISCOPUS.**

NOTITIA HISTORICA.

(Ex *Gallia Christiana*, tom. I.)

Rocensetur hic episcopus a Flodoardo inter alios Patres qui anno 625 sederunt in concilio Rhemensi. Ad eum exstat epistola sancti Sulpitii, Bituricensis episcopi. Ipse scripsit ad sanctum Desiderium nondum Cadurcensem episcopum, sed tunc Clotarii II thesaurarium. Vide duas ejus epistolæ lib. v Antiquarum Lectionum Canisii. Veri nomen exhibet fragmentum cuiusdam vetustissimi diplomatis, quod Mabillonius conjicit esse privilegium concessum a sancto

B Farone, Meldensem episcopo, coenobio Sanctæ Crucis, nunc Sancti Faronis. In fine autem inter plurimorum presulum subscriptiones legitur: *Verus, licet peccator, Rotenus urbis episcopus, hoc privilegium consentiens subscripsi.* Hoc pretiosum monumentum, nunc asservatum in bibliotheca Sanctæ Genoveæ Paris. edidit Mabill. tom. IV Annal., pag. 752.

EPISTOLA AD SANCTUM DESIDERIUM CADURCENSEM EPISCOPUM.

(Vide supra, hujus tom. col. 263.)

ANNO DOMINI DCLIX.

**SS. ELIGIUS ET AUDOENUS
NOVIOMENSIS ET ROTHOMAGENSIS EPISCOPI.**

IN SANCTUM ELIGIUM NOTITIA HISTORICA.

(Gallia Christiana, tom. IX.)

Natus erat S. Eligius in villa Catalacensi apud Lemovicas, Eucherio et Terragia parentibus ingenuis, atque ex longa prosapia Christianis. Erat in urbe Lemovicina Abbo aurifex probatissimus, publicam fiscalis monetæ officinam gubernans. Illic a puero datum Eligius ut tirocinium poneret artis hujus, tandem profecit, ut brevi Clotario regi ob suam in cinnamonis fabricandisque ex gemmis et auro operibus iudeceret. Sic enim in ejus Vita S. Audouenus Rothomagensis antistes lib. I, cap. 5, in Spicil. tom. V: *Factus aurifex peritissimus, atque in omni fabricandi arte doctissimus, inventus gratiam in oculis regis et coram cunctis optimatibus ejus.* Et cap. 9: *Mortuo interea Clotario rege Francorum, Dagober-*

C tus filius monarchiam regni solus obtinuit, a quo Eligius tanta familiaritate habitus est, ut plurimorum ejus felicitas ingens gigneret odium; si quidem oderant eum pravi quique, quoniam magnopere oderat ipse superbiam, diligebat veritatem, etc. Addit cap. 10: *Polebat magis ac magis in vigiliis, in jejuniis, atque in charitate; fabricabat in usum regis utensilia quam plurima ex auro et gemmis.* Fabricavit etiam S. Germani et S. Genovefe apud Parisios, S. Martini apud Turones, SS. Severini, Piatonis, Quintini, Luciani, plurimasque aliorum sanctorum thbecas. In ea vero non tantum arte, sed et in monetaria cum peritissimus integerrimusque juro ac merito haberetur, monetarius et ipse regius factus est